DE MORBILLIS PER AESTATEM ANNI MDCCCXLII BONNAE EPIDEMIIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA LITERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE OBTINENDUM

CONSCRIPSIT ATQUE UNA CUM ADIECTIS THESIBUS

DIE X. MENSIS FEBRUARII A. MDCCCXLIII.

PUBLICE DEFENDET

EDUARDUS FRIEDLIEB

HASSUS.

ADVERSARIIS:

M. IOSEPHO KREUTZWALD, MED. ET CHIR. DR.
FRIDERICO GOLDFUSS, MED. ET CHIR. DD.
HUGONE SIEFART, MED. ET CHIR. CAND.

BONNAE,

FORMIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXLIII.

VIRO AMPLISSIMO

MARTINO REINHARDT

CONSILIARIO HASSICO REI PUBLICAE ADMINISTRANDAE ETC. ETC.

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

Isagoge.

> Non fingendum aut excogitandum, sed inveniendum, quod natura faciat aut ferat. *Baco.*

Morbillos, de quibus hoc libro agimus, ex quo primus, ut iam constat, *Rhazes* *) accuratius recognovit ac vulgata dissertatione descripsit; non defuere, qui, deinceps hunc morbum perscrutati, reliquerint nobis diversissimorum epidemiorum fidelissimas ac per multa saecula ex ordine deductas explicationes.

E quarum cognitione non minus quam ex ipso huius morbi nomine facile intelligitur, quanto dirior ille ab initio fuerit, quam nunc deprehendatur. At huius generis similia exstant etiam in variolarum aliorumque recentiorum epidemiorum, ut syphilidis, decursibus. Nihilo vero minus ipsa unius tantum decennii in epidemiis morbillorum varietas ac discrepantia, neglecta universali illa huius exanthematis mutatione, satis momenti habet ad exactam ac multiplicem disquisitionem. Imo, quum nec idem eodem anno ubique, nec idem eadem in regione anni vicissitudine diversa hic morbus esse soleat; vel curtissima ac maxime specialis unius tantum epidemii animadversio sat gravis ad cognoscendum est ei, qui, quo vinculo cum ceteris rebus externis morbillorum pestis cohaereat, indagare ac pervestigare studet.

Itaque, quum huius anni aestate grassarentur morbilli Bonnae, cuius urbis in valetudinario aegrotos curandi munus

---

*) Sic vulgo dicitur ille *Muhamed Ebu Secharjah Abubehr Arrasi*, qui nimia tamen antiquiorum, imprimis Galeni, veneratione abreptus contendit, quod demonstrari omnino non potest: *illos* scilicet *ipsos quoque morbillorum habuisse notitiam.*

mihi cum multis iniunctum fuit, quumque ex huius nosocomii instituto doctoris gradum appetenti mihi de re quapiam ibi tractata foret scribenda dissertatio, illum potissimum morbillorum epidemium, de quo pauca in medium proferrem atque exponerem, equidem mihi selegi.

Eposui autem a me ipso observata, minus medico tironi lubricum arbitratus esse merae observationis stadium, quam intricatae speculationis curriculum.

Verum enim vero summa consilii inopia vexor. Quandoquidem nempe non aliorum commenta conferre mihi proposui, sed de meo tantum scrinio promere, prompta quasi nudam mercem legentium oculis subiicere statui, quid esse potest manifestius, quam meum huncce libellum venustissimo citationum ornamento destitutum iri? Ut enim literis commendaticiis non leviter adiuvatur viator, ita liber citationibus suis non exiguam adipisci commendationem solet: utque viator ille non legit ipse literas, ita non opus est, auctorem libri omnes suas citationes ipsum quoque perlegisse aut contulisse.

Videlicet solum decus libri sui affectant, quicumque citatis aliorum auctorum locis eum turgere ita saepenumero volunt, ut plus dimidia quaque pagina citationibus decorata cernatur.

Ceterum, ut ista mittam, absolutae perfectaeque morbi, qui Bonnae hac aestate torquebat homines, descriptioni nec parem esse me sensi nec ad eam sufficiens aut otium aut opportunitas mihi suppetiit. Ergo graviores modo nonnullos locos partim nondum ita, ut ego faciam, exacte ac plene enucleatos, eximam, exemtos describam. Qua in re monitor mihi exstitit *Vir Clarissimus ac longe Eruditissimus*, *Consiliarius Intimus*, *Professor ac Doctor Nasse*, qui benigne gravissimum ac maxime notandum quodque indicaverit.

Dabam Bonnae, Mense Decembri MDCCCXLII.

Dissertatio.

Iam igitur deinceps anquirere statuimus:

I. *unde et quo temporis articulo Bonnam delati morbilli qua ratione ibidem circumvagati vulgatique sint*,

II. *qua externae speciei varietate insigniti sint*,

III. *quos comites morbos habuerint*,

IV. *quomodo illi comites decursum ac speciem morbillorum immutaverint*,

V. *num contagio morbillorum non solum epidemiis causis debeatur*, *sed etiam in certis casibus a miasmaticis derivari possit*,

VI. *qualibus pueris puellisve iste morbus pepercerit*,

VII. *quid praestiterint praecautiones incommodorum*,

VIII. *num per salivam, lotium, faeces aegrotorum apparuerint defurfurationum vestigia*,

VIIII. *quae qualisve curatio secundum compositionum diversitates fuerit praestantissima.*

Priusquam vero ad hos ipsos locos illustrandos deveniamus, non alienum est, *cosmicas*, ut ita dicam, *relationes* spectare, quae insurgente isto morbo tenebant Bonnae.

Tempestatis igitur conditio mense Maio, epidemii acceptore, praecellebat siccitate ac sudo coelo, quod interdum tantummodo, atris obtectum nubibus, imbres ac nimbos deiecit.

Ventorum turba per totum mensem mirum in modum variabat. Primum enim ab *occidente septentrionali* per *meridiem* ad *orientem meridionalem* pergebat flatus, deinde ad *orientem* surrexit, mox rediturus in eius *meridionalem plagam*, tum per *occidentem septentrionalem* in ipsum *occidentem* abiit, iam ab

hoc in eius *meridionalem regionem* fluctuaturus; plerumque tamen spiravisse constat *Africum, Caurum, Favonium*, rarius *Austrum* aut *Subsolanum*, rarissime *Euronotum* aut *Aquilonem.*

Constantius vero flabris fuit *Barometrum*, quo ineunte mense Maio indicabantur 28 digiti, adjecta una uncia, paulatim deinde recedens illud indicabat VIII. die Maii 27 digitos cum 7 fere (adde $^1/_5$) unciis, tum rursus assurgens 28 digitos cum una fere (adde $^5/_6$) uncia, denique regressum iterum XXII. die 28 digitos implebat.

Nec minus sibi constitit *Hygrometrum*, quod initio mensis de partibus suis 21, deinde, exceptis quibusdam regressibus levissimis, ad exeuntem usque mensem diem ex die plures de partibus suis impleverit.

Thermometrum vero denique fluctuavit inter 46 partes scalae Fahrenheitianae, quas mane XI. diei, et 90, quas meridie XXVI. diei implevit.

Genius autem *morbi epidemius*, qui exeunte mense Aprili fuerat *rheumatico-catarrhoicus*, statim ineunte Maio conversus est in *rheumaticum*, praecipue ad *inflammationes* pronum. Tamen circiter VIII. diem rediit *catarrhoicus* morbi genius, quo domino gliscere coeperunt morbilli *Bonnae*, iam antea *Remagii*, *Oberwinteri* et *Coloniae Agrippinensis* grassati.

Primus, quem morbo correptum vidimus, in ea urbis parte, quae ortum solis spectat, habitavit: deinde vero hic et illic adeo sine ordine effloruit exanthema, ut eius quasi certum quoddam iter indagari non potuerit.

Iam, dum circumvagatur exanthema, tantopere in externo suo habitu variabat, ut, qui inde morbum aestumare voluisset, non posset facere, quin diversissima inter se exanthemata haberi diceret. Ego, quos primos deprehendi, morbillos inspiciens, vidi maculas in cute dispersas, quarum color inter roseum fuit ac purpureum, magnitudo vero ac figura satis varia, distantes inter se partim (at harum paucae) aliquo in-

tervallo, partim confusas, ita ut una alteram exciperet, perquam exiguo spatio supra cutem elatas, nec valde defurfurantes. Plerumque porro apparentis exanthematis sedes fuit in malis, auribus, toto ore: deinde in collo, pectore, brachiis, manibus, ventre reperiebatur, denique vero in cruribus.

At haec, sicuti exposui, non semper eadem inveniebantur aut prorsus sibi ipsis velut similia. *Coloris* enim conspeximus tantam varietatem, ut quum tenerrimam rosam ille imitaretur, tum fuscissimum muricem referret. Fuere etiam ex iis, quos vidimus, morbilli coccineo colore: fuscos tamen, quales inspexit *A. W. Berends*, Doctor, nusquam offendimus. Plerumque quidem talis fuit color, qualem a pulice recenter punctae cuti inesse cernis.

Ipsae maculae modo accurate limitatas oras habuerunt, modo earum margo in cutem sensim sensimque desiit. Vulgo *figura* macularum fuit incomposita nec certam prae se tulit normam, rarissime rotunda. Saepissime ita coacervatas maculas videbam, ut cutis loca integra similia insulis essent, interdum ita definitas ac rotundatas, ut singulae singulis non tangerentur; hoc maxime in cruribus. Elatae erant levissime eae potissimum maculae, quae invicem sese excipiebant; multae, inque his diductae illae ac dissociatae, conorum instar supra cutem eminebant.

Nonnullas separatas vidimus maculas, quarum dimetiens sive diametros unum digitum longa fuit, praecipue in ventre inventas: multae, in regione poplitea collocatae, grani miliacei non excedebant magnitudinem. Saepe etiam in cruribus, quam in trunco, maiores exstabant.

Nec eandem viam, quam antea descripsi, semper secutus est morbus. Aliquoties enim, iam in pectore et collo quum erupisset hoc exanthema, in ore demum sedem capere vidi; semel etiam dextra oris pars non accepit morbillos apud

unum *) aegrotorum. In cavo oris nunquam vidi similes morbillis maculas inhaerentes, nec sectione mortuorum facta quidquam eiusmodi oblatum est aut in illo cavo aut in tunica mucosa vel viarum respirationis vel canalis intestini.

Non minus vero, quam figura morbillorum in prioribus stadiis variabat, multiplex fuit *desquamationis* ratio. Nonnunquam enim nec vola nec vestigium desquamationis affuit: plerumque autem defurfuratio fiebat. Apud unum ex aegrotantibus, qui, etiam Whyttii morbo infestatus, decessit, vidi desquamationem fieri, concidente epidermi in frusta, magnitudine squamas carpionis cyprini aequantia, ut, qui nisi desquamationis in periodo morbum non inspexisset, fortasse antecessisse scarlatinam suspicaretur.

Animadvertendum vero, non, ut vulgo contenditur, in ore, sed in regione poplitea plurimas et desquamationes et defurfurationes deprehensas a me esse.

Iam igitur non parvam varietatem morbillorum, quod ad *externam speciem* attinet, cerni declaravimus: quae varietas maior etiam invenitur, si *tempus* decurrentis morbi spectatur.

Maxime autem consentaneum videtur *quatuor* poni cum *E. I. Thomasio a Thuessink*, Professore, *stadia*, quorum est

I. *contagionis* a I. ad IV. diem,
II. *eruptionis* inde a die IV. ad V. diem,
III. *florescentiae* a V. ad VII. diem,
IV. *desquamationis* a VII. ad XII. diem.

Hic est profecto modus is, quo saepe morbi decursum incedere vidimus: nec tamen ita perpetuo. Ego quidem parvulum **) curavi, qui in primo fuisse stadio non videbatur. Meridie enim, ubi coenatur, ille vegetus ad mensam cum parentibus assidens satis magno appetitu cibos adhuc comedebat: quum illi repente pectus et cervicem eius rufis maculis esse sparsam animadverterent, qui ipsi morbilli erant.

---

*) Nomen eius fuit *Guilelmus Sickmueller*.

**) Nomen *Francisci Sickmueller* gessit.

Itidem apud nonnullos desquamatio non fiebat. Elapso enim exanthemate, bene fuit parvulis nec ullo modo accidit defurfuratio aut desquamatio.

Saepe etiam vix XXIV per horas affuit exanthema: imo fuere, apud quos quinque diebus absolutum morbum viderimus. Et hae quidem morbi species fuere lenissimae. Illarum etiam morbi specierum, quae desquamatione carebant, permultas non est secutum ullum incommodum.

Memorabile unum est, quo incompositus morbillorum decursus confirmatur. Ecce puerulus trimus *), per biduum morbillis vigens, tertio die, nulla facta defurfuratione, morbillis est liberatus. Elapsis deinde duobus diebus, ecce iterum per aliquot horas exanthema affuit, atque ita regressum aliquoties iterum rediit illud per insequentes quoque nonnullos dies, donec prorsus evanuit. Affirmavere parentes huius pueri, tum reverti maculas, quum ille nimio calore se vexari diceret aut perturbationibus animi quum laboraret. Utrocumque enim facto, dimidiam per horam inhaerescebant morbilli aegrotanti adeo vegeti ac virentes, tanquam recens et primum erupissent.

Hoc loco quasi sua sponte quisque in istud ambiguum inciderit, num omnes hae diversitates in simplicibus catarrhoicis **) morbillis observatae sint, an fortasse causae earum fuerint varii morbillorum comites: si vero comites affuerint, qui illi tandem fuerint, interrogaveris.

In complicationibus igitur, quas cum aliis morbis morbilli ineunt, primum obtinent locum *inflammationes*, e quibus prae-

*) Nomen fuit *Fichterich.*

**) Non pauci quidem sunt, qui *simplices* et *catarrhoicos* discernant morbillos. Nos id respicere non potuimus: neque enim licebat, quum de Bonnensi epidemio scriberemus, qui *nullam non catarrhoicam* aegritudinem exhibuerit.

cipuas promimus viarum respiratoriarum inflammationes: *laryngitidem*, *tracheitidem*, *bronchitidem*, *tracheitidem membranaceam*, *pneumoniam*.

Febris comes assiduo vehementique calore est conspicua, pulsu pleno ac duro. Accedunt tussis violens ac pertinax, dyspnoea, anxietudo et inquies ingens, qua gravatus aegrotans vix lecto continetur, alvus saepe soluta, urina rubra. Adde etiam catarrhoica illa symptomata valde exculta, fortem dico sternutationem oculorumque lacrimationem. Quo morbi genere imprimis corripiuntur parvuli dentitione laborantes.

Omnes istae, quas supra dixi, inflammationes peracute decurrebant, plurimae etiam benignissime. Ille enim parvulus quoque, quem tracheitis membranacea plene exculta tenuit, vitam non amisit. Alii vero, quamvis acutus esset decursus, celerrimo collapsu virium infestati fuere: et ii quidem maximam partem obiere diem supremum. Iste quidem character in pneumoniis potissimum et membranis cerebri inflammatis, at in bronchitide quoque conspiciebatur: est autem morbi character ille proprius idem, qui a recentioribus quibusdam medicis certis solum morbis attribuitur (non autem nostrae pneumoniae), quos sub nomine *neurophlogoseos* describunt ac singularem morborum familiam declarant. Nos vero, nonnullis huius epidemii eventibus edocti, confirmare audemus adversantium neurophlogosi virorum placitum ac sententiam: neutiquam solas adesse turmas quasdam morborum sub forma commemorata semper obvias, verum hunc morborum characterem qua ex aegroti constitutione, qua e genio epidemio pendentem, in multis aliis quoque evenire posse morbis, quam qui sub neurophlogosi comprehendantur, nec ulla via separatam quandam morborum familiam efficere.

Hisce quidem inflammationibus, repentino virium collapsu excellentibus, adiungenda nobis est ante omnia morbi Whyttii species una, qua infans *), viginti menses natus, periit. Mor-

*) Nomine *Francisci Winter*.

bus extitit mere inflammatorius in desquamatione morbillorum, qui per totum decursum cum febri inflammatoria coniuncti fuerant, habuitque omnia symptomata hydrocephali acuti, excepto tantum vomitu. Adhibuimus igitur antiphlogisticam methodum; at quum deinde symptomata inflammationis comminuerentur alvusque crebro exoneraretur et vires infantis citissime corruerent, dubitare aliquatenus coepimus, num recta diagnosi uteremur et adiuvare ac levare aegroti vires conati sumus. Ille tamen succubuit.

Aperto igitur atque inciso funere, vidimus inflammatas cerebri membranas et adhaerentes cranii ossibus, ventriculis lateralibus etiam aquae nonnullis unciis suffusis.

Alterum quoque allegare exemplum libet. XII. die mensis Iulii vocatus ad infantem *) quamdam curandam, quindecim menses natam, ab eius matre audivi, brevi ante filiolam suam morbillis aegrotasse, aliquot per dies toto corpore diffusis, nunc vero ad cutis defurfurationem usque progressis: id quod statim conspexi. Fuit infans optime nutrita ac satis robusta, aegre tamen spirabat atque in ducendo quidem spiritu, ut ex vultu apparere videbatur, non leviter indolebat. Impositus igitur cylindrus secundum bronchiarum decursum exhibuit rhonchum sibilantem et in regione bifurcationis bronchiarum rhonchum mucosum. Praeterea non fervebat caput nec rubescebat coniunctiva bulbi. Illato in os infantis digito dentitionem agnovi. Linguae apex ruber, radix albo obtecta, pulsus durus fuit ac plenus. Alvum puella saepius intra XXIV horarum spatium solvit. Lotium non licuit mihi inspicere. Denique prostratio virium in aegrota animadvertebatur et somnolentia atque ad soporem prona natura.

Diagnosi mox bronchitidem duplicem offendimus: quam, iteratis emeticorum remediorum dosibus et applicatis hirudinibus, postridie eius diei, quo incepimus mederi aegrotae, circa meridiem superavimus. Tempore XIII. diei Iulii pome-

*) Nomen ei *Helena Jülich.*

ridiano sub horam sextam liberatum prorsus rhoncho sibilante et mucoso pectus fuit.

Omnino non solum ego, sed etiam *Hendrichs*, Dr. med., adiutor in nosocomio, lustrato hoc tempore pectore, abnormem omnem rhonchum desideravimus. At vires infantis valde imminutae erant. Equidem igitur rem, quam gravissimam fore censerem, Viro Illustrissimo *Nasse*, Directori nosocomii, indicavi. Ille Ammonium carbonicum, in similibus aegritudinibus creberrime probatum, salutem allaturum esse iudicavit.

Quum vero, illud remedium infanti adhibiturus, domum eius me contulissem, iam defunctam offendi. Mater eius ante unam horam, qua tantum abfuissem, aiebat somnum cepisse filiolam et sine ulla dyspnoea ac tranquille dormitasse. Tum vero experrectam subito cum inquietudine atque angore magno, vehementi dyspnoea tentatam et convulsionibus correptam esse, quibus intra dimidiam horam exstincta sit.

Aperto igitur corpore confirmatum est, bronchias, obeunte puella, inflammatione vacasse, sed pneumoniam haud dudum accessisse, qua totus dexter pulmo, excepto inferiore lobulo, et sinistrum superius lobulum infectum sit. Hepar colore fuit gilvo in modum eorum hepatum, quae potatores habent.

In his igitur ac plerisque eiusmodi morbis vidimus periculosiores esse inflammationes in desquamatione inventas, quam quae erumpentibus morbillis deprehenderentur. Praeterea non apud eos homines, qui non desquamati erant, vel quorum morbilli unum tantum per diem steterant et ulla sine desquamatione evanuerant, periculosae illae inflammationes inveniebantur, quamquam hoc multi credunt et eorum morbillos reciprocatos esse dicunt: sed ii potius, quorum morbilli perfectissimi steterant optimeque desquamati erant, inflammationibus illis malignis vexabantur.

Una praeterea morbillorum cum meningitide complicatio letifera evasit.

Quod autem ad complicationem morbillorum cum tracheitide membranacea attinet, non pauci fuere errores.

In multis enim anginis et tracheitidis simplicis multis speciebus offendimus tussim adeo tracheitidem membranaceam affectantem, ut vel exercitatissimus hoc in genere medicus hunc morbum haberi dixerit, utque nonnisi continua observatione diagnosis firmaretur. Apud unum tamen ipsa membranacea processit: nec de veritate diagnoseos, membranis in fistularum speciem erectis, dubitari licuit.

Una vero morbillorum comes aegritudo, eaque quam maxime extimescenda, quam videndi nobis occasio data est, fuit *noma metastaticum.* Hoc enim malo, sanequam foedo atque horribili parvulus, qui annos tres et dimidium confecerat, est vexatus. Ille tertio die Iunii morbillis, ad inflammationem, bronchitide evidentem, sed mox repulsam, pronis tentatus, V. d. Iunii hoc exanthema habuit perpallidum, VI. die accepit aphthas, praecipue in interiore labiorum oris margine, VIII. die recepit morbillos vigentes, IX. laboravit magno calore ac febri. XI. die Iunii rursus pallescebant morbilli atque evanuere. XIV. die cutis defurfurari coepit. Is, qui forte curavit parvulum, rite eum inspicere et cognoscere hoc temporis articulo praetermisit. Videtur autem iam affuisse in laeva mala tumor tactu explorandus. Quum vero XVII. die mater parvuli tumefactam malam indicasset, medicus inspectam vidit esse livido colore nec dolentem tactu sensit, ut ipse renunciavit. Tamen nondum noma suspicatus est, saltem in rei narratione scripta eius morbi mentionem non fecit. Itaque XX. demum die in inferiore oris angulo apparuit macula exiguae amplitudinis ulcerata ipsoque ex ore putidus odor surgebat. XXI. vero iam die tanta fuit illa macula, quantus est quinque grossorum nummus, et nigro colore induta. XXIII. die Iunii effecta est linea, quam vocant, *demarcationis*, seu termini maculae constituti sunt. Parvulus tamen, quamvis summo studio, arte curaque medica nunc iuvaretur, morti vitam cessit.

Aggredimur iam alium morbillorum comitem, *affectionem* dico *gastricam.* Hoc enim nomen indendum est aegritudini cuidam, ubi chylopoësis potissimum affectabatur, suspensum

sane nec satis definiens. Nam si vel hoc tantum difficile, ut egregie inquit *Burserius*, quaerendo assequi, an adsit gastrica complicatio in morbo eo ipso, qui albo obtecta lingua, nausea, vomitu, sensu gravedinis in regione epigastrica collocatae conspicuus est, velut in ipso morbillorum morbo, nominatim sub contagionis stadium: quanto difficilius sit quamque longe difficillimum, suapte sponte intelligitur — imo fortasse fieri non potest illud — discernere, utrum sit haec complicatio gastricismus, an febris gastrica, an quidquid aliud restat. Ego ergo pro virili sola describam symptomata, diagnosin relinquens me exercitatioribus. De ipso tamen nomine certe non erimus solliciti, quoniam, ut vates *) ille ait Germanicus:

— — *Eben wo Begriffe fehlen,*
Da stellt ein Wort zur rechten Zeit sich ein.

Parvuli igitur plerumque in stadio florescentiae accipiunt linguam multo albo obductam, gustatum glutinosum atque insulsum, saporem ciborum paene nullum, capitis obtusionem maxime in anticis eius partibus, dolorem stupidum, iniucundum in scrobiculo cordis sensum, praecipue illo impresso, at sine ulla dolentia, putidissimum ac foedissimum halitum, ad vomendum proclivitatem ac propensum studium, fastidium edendi, interdum etiam ipsum vomitum.

Praecordiorum accurata inquisitione elicitur sonus tympaniticus, in fundo vero ac regione pylorica satis circumscriptus ac fuscus, etiam quum diu abstinuerint eduliis aegroti. Nonnunquam infestantur aegrotantes algore, quem fervor sequitur, pulsu celere, molli, irregulari, interdum intermisso. Urina iumentosa, ab initio alvi obstructio, dein male concoctarum ac valde putentium faecium deiectio.

Hanc autem complicationem certa quadam periodo teneri, vix contenderis. Quamquam enim statim ante I. diem Iunii non extiterunt cum illis gastricis affectionibus coniuncti morbilli, tamen deinde eiusmodi aegritudines per totum epidemii

*) Goethe's Faust I. Theil.

morbi decursum observatae sunt, frequentissimae nihilo minus sub medium Iunium.

Sed magis, quam a chronica quadam causa, illa complicatio videtur a corporis constitutione certa pendere, quandoquidem in vulgus ii parvuli in gastricos incidunt morbillos, qui, quum plebeiorum sint liberi, humilibus atque angustis humidisque casis coërcentur, nec nisi, more egenorum, exilibus ac vilibus nutrimentis aluntur. At eorum quoque pauci, qui nobiliore loco orti erant ac bene nutritri videbantur, illis gastricis morbillis laborare coeperunt.

Attamen morbillorum comites prosperrimae ac lenissimae fuerunt ipsae gastricae affectiones. Etenim nobis quidem ne unus quidem parvulus mere gastricis morbillis periit. Sed non ita cito convalescebant parvuli, quorum vires quoque valde infringi solerent. Saepe etiam ad illam complicationem altera accessit, *stomacacen* dico: quae tamen ipsa quoque prospere semper fere cessit et intra quindecim dierum spatium finiebatur. Si qui vero minores natu, quam bimi, erant, non stomacace, verum creberrime *aphthae*, quamquam non in solis gastricis morbillis, accesserunt. In gastricis tamen praecipue aphthae, quam ob rem hic de aphthis sermonem facio, animadvertebantur. Evanescebant autem non multo post desquamationem nec incommoda eas sequebantur.

Iam vero de altero quodam morbillorum comite inferenda mentio est, omnium fortasse periculosissimo, quos observavimus. Fuit ille, ut videtur, *typhus*; dixi: *ut videtur*, quia diagnoseos veritatem confirmare minime possumus nec ego volo. Ut autem lectori hunc morbum informemus, subiecimus medici, qui aegrotantem tractavit, relatum. Inde suam quisque ipse sibi diagnosin promat, aut ad *typhum cum morbillis coniunctum* aut ad *nervosos morbillos* aut ad *malignos* animum advertens. Quodcumque enim nomen magis convenire morbo suspicaris et substituis, res manet eadem perpetuo: nec profecto hic de nomine, sed de ipsa re agitur. Haec igitur, per me e Germanico sermone translata, ille fere protulit:

„Puellula quaedam, *) sanis parentibus nata, quum aliquot per septimanas aegrotasset, obiit XVI. die mensis Iunii, annum agens primum, adiectis decem mensibus. Illa quidem principio aegritudinis tristior ac morosior fuit, quam unquam antea fuerat, laborans etiam leni tussi atque diarrhoea. Insertae utrique eius brachio erant VII. die Iunii vaccinae septem. Quatriduo post in incisuris noduli parvi super fundo rubro apparuerunt, qui die quinto post insitionem desederunt. Fundus quasi annulus ruber distinctis finibus inclusit nodulum, nec ulterius vaccinae sunt progressae. Parum vero custodiebatur puellula nec a perfrictione ei providebatur. XI. igitur Iunii die quum forte cum matre in platea staret parvula, repente liquorem rubidum evomuit, cuius volumen tantum fere fuit, teste matre, quantum cochleari capitur. Mater, quae sanguinem emissum putaret, sollicitata de filiolae salute, nuntium misit in valetudinarium nostrum. Ego igitur domum puellae XII. die Iunii profectus, inveni eam tranquille in grabato cubantem, capite ferventem, oculis subrubentem, lingua albo abducta. Exactissime autem quamvis in pectus inquirerem, abnorme aut insolitum quidquam nec percutiendo nec auscultando animadverti: nec, presso ventre, infans indolescebat. Interdum illa sicca tussi vexabatur, noctu tamen quiete dormiverat. Eandem parentes aiebant per sex dies edulibus paene abstinuisse, et ex aliquot diebus laborasse alvo vehementissime adeoque soluta, ut quotidie faeces modicae fierent sex ad octo, et itidem saepius vomuisse: quem vero supra dixi, rubrum liquorem, iterum erupisse negaverunt. Haec autem omnia parentes dentitioni filiolae quum attribuissent, medicae opem requirere supersederant. Accedit vero, quod illi parentes negligentissimi omnino ac nimiumquam incuriosi esse solebant in custodiendis aegrotis liberis, quos scilicet a mane ad vesperam cura sua destituerent: id quod *Willmannus* mecum communicavit, qui ante menses aliquot alterum horum

*) Nomen eius fuit *Gertruda Hochrath.*

parentum parvulum curaverat. Ergo nihil antiquius habui, quam ut parentibus filiolae curam acriter mandarem. Deinde, quoniam aegrotae lingua albo obtecta appetitusque ciborum plane nullus erat, praescripsi emeticum ex rad. Ipecacuanh. ℈j per duas doses et mixturam Gum. Tragac. ℈j cum Aq. font. ℥jv contra diarrhoeas profusas et potum flor. Til. infusum. Simul quod suspicabar, elocutus sum, infantem videlicet morbillis propediem infestatum iri.

„Et ecce, insequente die aegrotam quum reviserem, toto corpore eruperant morbilli; cutis calebat, alvus minus soluta erat, attamen hoc quoque die tres tenues ac subvirides faeces emisit infans, qui non vomuerat et in universum melius, quam pridie habuit.

„XIV. die Iunii in florescentia etiamtum magna fuere morbilli. Non indolescebat puellula. Perquirenti mihi pectus ac ventrem singulare nihil obvenit. Itaque infusum flor. Til. porro quoque dari iussi, altero ulllo medicamento non adhibito.

„XV. die Iunii maculae partim refugerant, partim luteae erant: cutis frigebat ac sicca tangenti videbatur. Ipsa aegrota morosa erat multumque flebat, oculos tristiores quam antea habens. Statim igitur ex his suspicatus, neglectam aliquo modo infantem esse, audivi, eam sine ulla custodia in cubiculum recens aqua elutum esse transportatam, potibus frigidis nutritam et per totum diem in grabato, urina humefacto, impositam iacuisse. Iussi proinde parentes, ob oculos filiolae periculo posito, acriorem ei curam impendere. Frustra! Nam ne tepidam quidem, a me praescriptam, illi adhibuere aegrotanti.

„XVI. die Iunii, quo die singula eadem atque XV. die erant, me praesente infans balneis e floribus Chamomillarum usa, valde recreatam se sensit. Cutis enim recalescebat et ipsa puellula vegetior fiebat. Vesperi cutis adhuc calebat, pedes tamen frigebant. Vomitu amplius vexata non erat, tussi carebat: oris vero ductus ac lineamenta et ipse vultus deformata cernebantur, oculi sine nitore, palpebrae sordida atque immunda illuvie opertae, lingua fusco obducta, in nonnullis

quoque gingivae partibus fusca materies, pulsus frequens ac parvus. Dormitabat infans, diducens late, si quando tangeretur, palpebras et lacrimans et stridula singulariter voce quiritans. Ego, quum nec de cerebro symptomata adessent, nec in pectore morbidi quidquam inesse videretur, non potui facere, quin illam totam aegritudinem a ventris constitutione pendere existimarem. At ipsum morbi focum eruere mihi non licuit, quum muta esset infans, neque, quae sentiret, aperire posset. *)

„Eruperant tamen intra aliquot dies nonnulli dentes obque hoc et quod vultu doloribus deformato et antea quoque dentitione multum vexata fuit puellula, violentem dentium irritationem adesse ratus, iussi, iterum admovere tepidam e floribus Chamomillarum et lana involvi aegrotam, et singulis horis consumere Liq. Ammon. carb. ʒß cum Aq. Meliss. ℥ij cochlearia singula, et crebro bibere infusum flor. Chamom. Nequidquam tamen haec omnia institui. Pergebat enim frigere cutis: quin etiam aucta sunt insequente die symptomata. Eo die, me adveniente, dormitans cubabat infans, semiapertis oculis: quumque perquirere eius corpus vellem, clamare coepit et inquietem prae se ferre et huc et illuc motitare caput. Quum vero recessissem, tranquille iterum cubabat. Spiritum ducebat paulo quam ante citatiorem. Praescripsi igitur rursus balneas et auxi dosin Liq. Ammon. carb. in ʒj cum Aq. Meliss. ℥jj, singulis horis singulis cachlearibus consumendam. Hinc vigor cutis parumper increvit; at pedes frigere perrexerunt. Tempore denique pomeridiano mortua est puellula, singularibus nullis signis mortem praegressis.

---

*) Extrema haec ita nobis refert auctor:

Ich konnte alle diese Erscheinungen nur vom Unterleibe ableiten. Gehirnsymptome waren nicht da, ebenso war in der Brust nichts Krankhaftes zu erkennen, wo aber das Leiden seinen Heerd hatte, welcher Art es sei, war mir nicht möglich zu bestimmen, da das Kind über seine Gefühle keine Auskunft zu geben vermochte.

„Aperto deinde cadavere XXXVIII. horis post mortuam infantem, haec notavimus, tergo cadaveris averso.

„Corpus maciem de morbo magnam traxerat. In facie, pectore, brachiis, femoribus extabant maculae incompositae, subrotundae et violaceae, magnitudine lentem exaequantes singulae, albis cutis locis inter se dimotae, ac distantes. In utroque lacerto inventa sunt loca eminentia, subrotunda, candida, digitalem unciam unam et semissem magna, quorum in medio fuit punctum foramen et stria depressior: inter duram matrem et arachnoideam uncia ferme liquoris aquosi, in ventriculis omnino omnibus una fere drachma, in cerebro abnorme aut insolens nihil. Piae matris vascula cruore scatebant. Dexter cordis ventriculus cruore atro concreto impletus fuit. Intestinum tenue multis locis rubicundum fuit per spatium unciarum digitalium trium ad quatuor habuitque quinque loca coarctata, tres fere uncias digitales longa, dimetiente duarum: quibus locis intestinum paululum crassius cernebatur."

Tantum igitur fere ille, a quo hanc de funere relationem accepimus. Iam vero ad cetera convertimur.

Maxime memorabilia cognituque et dignissima et iucundissima fuit morbillorum cum aliis exanthematis coniunctio. Scio sane, contendi vulgo, omnibus hoc commune exanthematis esse, quod simul plura adesse non soleant, sed, uno praesente, alterum quoddam adesse nequeat.

Docet hac Schoenleinius *) quoque. Ille enim: „*Morbillorum*" inquit „*contagium aut reliqua contagia in uno homine*

---

*) Cf. eius *allgemeine und specielle Pathologie und Therapie*. Part. II. p. 114., ubi ipsius auctoris verba leguntur haec: „Das Masern-contagium schliesst andere Contagien im Individuum aus, oder wird von demselben ausgeschlossen. Kräftiger ist z. B. Masern-contagium als Krätzecontagium. Wenn daher ein Kind, welches an Krätze oder crusta lactea leidet, von Masern befallen wird, trocknet die Krätze plötzlich ab, erscheint aber wieder, wenn die Masern verlaufen sind."

eximit ac removet aut illis removetur nec aditum impetrat. Ut autem exemplum afferam, quum fortius, quam scabiei contagium, esse soleat morbillorum, infans scabie vel crusta lactea laborans si morbillis correptus est, extemplo illa siccatur; morbillis tamen elapsis, revertitur.“

Tale dictum ut proponas, fieri non potest, nisi peregregiam observationum copiam in epidemiis morbis collectam et quum diversissimis in regionibus, tum omnibus anni vicissitudinibus perceptam habeas. Verumtamen, licet vel plurimi observatores nunquam experti sint morbillos vaccinasque copulatas, ea res tantum non valet, quanti est hoc, quum unicus modo, illos duos morbos revera ac procul dubio iuxta fuisse positos coniunctosque, certissimis indiciis compertum atque observatum habet.

Quocirca ne summorum quidem hominum auctoritate moveri potui, ut, quae oculis meis obversarentur, non aspicerem. Quidquid autem hac de re observavi, quam potero accuratissime infra exponam.

Primum evenit hoc: Infans *) quaedam, Bonnae nata VIII. die Septembris anno MDCCCXXXXI., perpetua sanitate usa erat, donec hoc anno IX. die Maii vaccinae ei insitae sunt. XVI. deinde eiusdem mensis die primum in incisurae locis rubrae maculae, nondum supra cutem tamen elatae, extiterunt. Atque ita lentissimo decursu excolebantur vaccinae, dum XX. Maii die dimetientem duarum unciarum digitalium haberent, paululum supra cutem eminentes et liquoris limpidi tantum continentes, quantum grano miliaceo capitur. Eodem die eruperunt ex infantis corpore morbilli, quibus sorores eius duae iam ante aliquot dies laboraverant, alterae duae etiamtum laborabant. Exque illo inde tempore tam vaccinae, quam morbilli citissimo decursu in infante incedebant, ut iam XXI. die Maii vaccinarum plenissima diametrum quinque unciarum digitalium haberet, liquoris etiam, nigricante colore conspicui,

---

*) Nomine *Maria Sickmueller.*

referta. Morbilli quoque eodem tempore perfectissimi erant: XXII. tamen die evanuerunt et cutis XXIV. die Maii primum in pectore coepit desquamari, deinde in facie, extremum in artubus. XXII. die etiam vaccinae fusciore colore inficiebantur ac paulatim crusta tegebantur.

Secundum est hoc. Biduo post insitas vaccinas morbilli apud aliquem eruperunt. Non equidem per totum decursum hanc aegritudinem perquisivi: tractata tamen est in policlinico nostro. Vaccinae igitur non perfecte sunt excultae, sed exiguae pustulae, in apice perexigue purulentae, dicendae erant. Morbilli vero ex ordine iusteque incesserunt, iamque, desiccatis vaccinis, duos per dies perrexerunt stare.

Tertium est, quod memoravimus in enarranda morbillorum cum typho complicatione, ubi item vaccinis adiunctos fuisse morbillos, lector adhuc meminerit.

Fuit unus morbillorum decursus, cuius extremo stadio *milliaria* adiecta est, ab *Hendrichsio*, Doctore, nosocomii nostri adiutore et a me animadversus. Ibi autem bellissime floruerunt morbilli; mox tamen, cute semper sudante, iam tertio postquam erupere die evanuerunt. Tum non successit desquamatio, sed cito intumuit cutis perque totum corpus milliaria est diffusa, in qua singulae pustulae formam gerebant bene ordinatam et compositam. Quae pustulae quum octo per dies mansissent, evanuere et statim desquamabatur aegrotus.

Iam de morbillis, cum *scabie lymphatica* coniunctis, agemus. Unus autem solummodo aegrotus fuit, cuius cum morbillis constanter atque ad regulam decurrentibus nexam observavimus esse unam item solummodo ex impetiginibus chronicis. Altero enim florescentiae stadii die, ubi exanthemate totum corpus tenebatur, in dorso aegrotantis parvuli eiusque in manu aversa inter morbillos cernebantur dispersae exiguae pustulae, liquore rubicundulo impletae, quibus quum valde titillaretur infans, crebro eas scabebat. Mater autem eius

narravit, iam per aliquantulum temporis ante erumpentes morbillos affuisse illas pustulas.

Morbillis igitur, ut iam supra dictum, constantissimo decursu absolutis, pustulae etiamtum illae aderant et accurate inspicienti diagnosis huius impetiginis ostendebat scabiem lymphaticam.

Iam vero diversis variisque morbillorum comitibus morbis ita quasi pertractatis, suapte sponte cuique occurrerit cupiditas sciendi, quomodo ab illis comitibus forma ac decursus huius exanthematis pependerit, adque id statim respondebimus.

Primum autem de *inflammatoriis morbillis* pauca praefabimur. Illi imprimis dentientes invadebant, sive robustos ac bene nutritos, sive macros atque egenorum more viventes, vel etiam sive plethoricos sive non abundantes sanguine. Tantum vero contendi ac pro certo affirmari posse iudicamus, a cosmicis rebus dependere complicationem inflammatoriam: quae res vel inde patet, quod tum praecipue inflammatorii sunt morbilli, quum omnino inque universum obtinent inflammatorii morbi.

Inflammatorii porro morbilli insignes esse solebant colore valde rutilo, eminentia supra cute, quae in toto corpore turgebat, non parva, denique cohaerentia.

Decurrebant cito elapsoque exanthemate mox desquamabantur perfectissime, squamis paulo maioribus, quam quibus solent desquamari catarrhoici gastricive morbilli. Adde, quod nunquam non desquamabantur inflammatorii, quum e contrario ceteri morbilli saepe carerent desquamatione.

Longe tamen secus, quam character inflammatorius, definivit formam ac decursum affectio, quam supra explicavimus, *gastrica.*

His enim affectionibus cutis quidem magis solet tumescere, quam in morbillis mere catarrhoicis, sed non est aeque

elastica ac tenta. Ipsum exanthema fuit magis pallidum ac roseum, minusque cohaerens aut coiens, frequenter in cruribus vel brachiis positum, singulis subrotundis et bene formatis nec inter se nexis eruptionibus, quae valde supra cutem eminebant, dum in trunco et ore exanthema magis confusum erat multoque supra cutem minus efferebatur.

Hic autem stadium eruptionis diutius quam in inflammatoriis morbillis, durabat, postea autem celerius vel aeque celeriter evanuit exanthema, multo vero serius desquamari solebat: neque hic tam perfecta fuit desquamatio vel potius defurfuratio, quam in inflammatoriis morbillis, quum plerumque perexiguis squamulis ibique primum fieret, ubi eruptiones inter se dimotae atque elatae fuissent, id est in extremis partibus.

De *typhi* in exanthema morbillorum impulsu atque efficientia, quoniam haec complicatio semel tantum est observata, pauca vel potius nulla exhibere licet: utque etiam legentibus non turbatum nostris sententiis ac liberum permittamus iudicium, omne nostrum suffragium cohibemus. Ideo enim, ut ipsis lectoribus, quid singulari typhi in morbillorum exanthema efficientiae ac potestati fortasse tribuendum sit, eruendum atque examinandum relinqueremus, prolixissimam huius complicationis descriptionem supra in medium protulimus.

. Contra tamen tres illae morbillorum cum *vaccinis* complicationes evincunt aptissime alternam diversorum exanthematum inter se vim atque efficaciam. Prima enim complicatione refutantur, quicumque, unum exanthema altero excludi ac repelli, contendunt. Imo vero potius ibi evidentissime apparet, diversa ac iuxta decurrentia exanthemata mutuo adiuvari magis, quam alterum altero impediri. Insitae erant vaccinae IX. die Maii. Principio lentissime decurrebant et XVI. demum eiusdem mensis die, quo eas ad iusti decursus normam florere oportebat, extiterunt rubrae nec eminentes maculae in incisuris. Haec maculae iam XX. die dimetientem habuere non maiorem duabus unciis digitalibus. Accesserunt deinde morbilli, qui

non modo ipsi ad regulam ac celeriter decurrerunt, sed etiam comites habuerunt vaccinas tam citatas, ut insequenti die earum maxima quinque fere unciarum digitalium diametrum haberet, etiam perfectissima et ad normam conformata. Insequenti denique die utrumque exanthema reformari coepit.

In altera autem complicatione cum eodem morbo longe secus sese res habuit. Biduo enim post insitionem vaccinarum eruperunt morbilli, unde illae, quae iam rubrae maculae fuerant, in infimo progrediendi loco retentae sunt, marcescentes atque intermorientes. Morbilli econtra non sunt vaccinis impeditae in recto decursu. An vero morbillorum sola eruptione vaccinae sint necatae, quis hoc certum habere audeat?

Quaenam denique utriusque huius exanthematis vis mutua fuerit in ea, quae typho laboravit, puellula, iam certo ipse lector ex huius morbi, quam exhibuimus, historia cognoverit. Quapropter ea de re ut amplius loquar, non est necesse.

Iam de eo parvulo dicendum, cui post morbillos elapsos statim milliaria est iniecta. Hoc tamen exanthema iam in morbillorum decursum efficax fuisse, vel inde apparere autumo, quod illi perbrevi tantum floruerunt citoque pallescebant. Contra non potest milliariae tribui, quod non extemplo post elapsos morbillos desquamatio quoque subvenit: nam saepe etiam ii morbilli, qui sine ullo comite decurrebant, sero demum, imo saepe minime desquamationem sunt passi.

Quod denique morbillorum cum *impetiginibus chronicis* complicationem attinet, refellitur utique, quod contendit *Schoenleinius*, *) *morbillorum contagium fortius scabie esse et hanc, illis erumpentibus, siccari ac recedere, deinde vero, illis elapsis, reverti.* Videlicet in ea complicatione, quam nos observavimus, exanthema morbillorum valde perfectum fuit, inque eius bellissima florescentia mansit scabies.

---

*) l. l. p. 17 sq.

Postremum, quomodo apud *scrofulosos* decurrerint morbilli, ostendemus. Quamquam igitur contendi nequit, certum quemdam characterem accepisse morbillos cum scrofulis congressos, quum e contrario mere catarrhoicos, inflammatorios et gastricos experti simus: tamen affirmare atque asseverare possumus, scrofulosos infantes vehementissime morbillis, quemcumque prae se ferebant characterem, correptos, nominatimque apud illos homines plus, quam apud alios, membranas mucosas infectas esse. Accessit violens tussis, multis sputis coniuncta, et alvus saepius soluta: quibus rebus omnibus citissime vires aegrotantium solebant collabi atque infringi.

Quintam huius quaestionis partem iamiam aggredimur.

Quaerendum igitur est, num in hocce nostro epidemio morbo contagio morbillorum a miasmaticis causis certo derivari possit: nam identidem dubitatum est, an miasmate propagari solerent morbilli nec mere epidemiis causis.

Quandoquidem vero observando nobis persuasimus, re vera miasma vim exercere suam, hasce nostras animadversiones antestamur atque oculis mentibusque legentium subiicimus.

In aedibus quibusdam, ubi quinque parvuli cohabitabant, duos ex his, morbillis infestatos, meae curae demandatos habebam. Quum autem ceteri tres nondum laborassent illo morbo, experturus, an haud inficerentur, a duobus aegrotis si remoti tenerentur, matrem horum quinque liberorum iussi secernere ab aegrotantibus eos, qui prospera etiamnum valetudine uterentur. Illa igitur etiam cubiculis liberos separavit. Quae separatio quamdiu observabatur, sanorum quidem parvulorum nullus est infectus. At defurfurantibus morbillis, parentes rati, amplius non requiri disiunctionem, simulatque, ut simul luderent, liberis permiserunt: ecce statim post aliquot dies tres illi senserunt raucitatem, tussim, forte sternu-

mentum, ardorem in collo, iamque insequenti die effloruerunt morbilli.

Cuius generis multa observavimus. Fortissimum vero in ipsa *defurfurationis* periodo videtur esse miasma.

Altera quadam re firmatur item, quod contendo: scilicet illud astipulatur mihi, quod non ad regulam quasi quandam per urbis loca grassabantur morbilli, sed modo hic, modo illic, inque remotissimis etiam simul regionibus erumpebant, si quando nimirum inter se congressi parvuli erant, quorum pars quaedam adhuc aegrotabat, potissimum si defurfurantes accesserunt. Ita exempli gratia hodie aegrotare incepit infans in regione septemtrionali habitans, cras alter in meridionali ac prorsus contraria. Unius tum familiae liberi omnes ex ordine laborare morbillis coeperunt, eodemque tempore familia in orientali regione collocata inficiebatur.

Iam ad *sextam* quaestionem accedimus, ad quam summopere quidem iugiter attendimus, quam tamen rite illustrare atque absolvere minime gentium valemus.

Ut enim sunt, qui certis contagiis prorsus non vexantur *), ita ego vidi parvulos, qui, etsi cum aegrotantibus cohabitabant plurimumque conversabantur, non infecti sunt morbillis.

Iam igitur aliquis interroget, quinam tandem parvuli fuerint inviolabiles illi; an antea aliis morbis iam tentati sint; quibusnam tentati sint; num aliis quoque parvulis, eosdem morbos passis, pepercerint morbilli, an apud eosdem non omnino perfecti fuerint?

---

*) Cognovi homines, qui, quamvis crebro cum prorsus syphiliticis feminis congressi, nihil inde mali hauserunt, quum alii, iisdem mulieribus et antea et postea communicati, inficerentur. Etiam cognovi, qui, quamquam variolis nunquam laborarunt, identidem frustra invaccinati sunt.

At enim libere profitendum nobis est, hauddum quidquam a nobis indagatum esse. Ex iis enim liberis, quibus pepercerunt morbilli, alii nondum ulla aegritudine laboraverant, alii iam antea porriginem favosam passi erant. Fuerunt tamen etiam, qui iisdem morbis iam vexati essent nihiloque minus morbillis inciderent. Equidem multos inveni parvulos, epidemio morbo non afflictos, quos antea morbosos fuisse audiveramus: quumque ob hoc ipsum crederemus, iis morbillos parcere, ecce aderant illorum fratres aut sorores, morbillis correpti florentibus, antea tamen eosdem morbos, quos illi, item passi.

Ergo posteriori observatorum cuidam quasi collegio in manus tradamus oportet illius, si qui est, morbi inventionem, quo iam antea correpti parvuli non soleant esse morbillorum subiecti contagioni.

Sed de cautela quadam seu, quod vocant, remedio praeservatorio agendum. Quum enim nondum ullus contra morbillorum eruptionem morbus praeservans sit inventus, ut iam constat, quaeritur, num proposita fortasse sint iam eorum quaedam alia remedia praeservatoria, aut num nos fortasse adhibuerimus in epidemio nostro morbo curando, et quali cum eventu?

Errumpente epidemio illo, statim in id enixi sumus, ut praeservatoria maxime commendata exsuteremus atque examinaremus. Dedimus igitur recipiendum ab *Hahnemanno* *)

---

*) Haec forma est:

R. Extr. Aconit. gr. jj—jjj.
solve in
Aq. Cinnamom. s. V. ℥j.
M. D. S. quotidie tot gtt., quot annos infans habet, ter consumendum.

oppido quam commendatum Extr. Aconit. ea, quae praescribitur, forma *), deinde Extr. Bellad., Flor. sulphur., Oxymel, Calomel.; at omnia sine ullo omnino successu.

Walzius tamen, nosocomii nostri secundus adiutor, putavit, salubre fortasse fore exanthema arte effectum, proposuitque *Unguent. Cort. Daphn. Mezer.* Quod medicamentum ille etiam quinque familiis adhibuit multoque cum successu sese adhibuisse affirmavit. Mecum vero haec fere communicavit: In una familia, cuius e quinque liberis unus iam morbillis laboraret, ceterorum lacertis aiebat se infricuisse illud unguentum. Biduo post extitisse pustulas, morbillosque pepercisse quatuor illis liberis. Eodem tempore alterius familiae duos liberos a se praeservatos esse eodem remedio, ubi tamen e tribus iam unus laborarit morbillis. Tertiae familiae unum e duobus liberis, quartae familiae e quatuor tres,

---

*) Belladonnam in forma, ab *Hufelando* laudata, praescripsimus; quae sic legitur:

R. Extr. Belladonn. gr. j.
solve in
Aq. com. ℈vjjj.
add.
Spir. Vini rft. gtt. x.
M. D. S. bis quotidie tot gtt., quot annos infans habet, consumendum.

Similem formam *Pittschaftius* et *Gumbertus* contra scarlatinam commendant.

R. Extr. Belladonn gr. j.
solve in
Aq. Fl. Aurant (vel Foenicul.) ℥jv.
add.
Spir. Vini rft. ʒj.
Syr simpl. ℥β
M D. S. Mane ac vespere quotidie cochlearibus minoribus, vel cochlearibus minoribus dimidiis consumendum.

quintae denique e sex quatuor a se praeservatos esse praedicabat.

Hactenus de incommodi cautione. Iam ad *octavam* nostram quaestionem accedimus.

Quamquam autem sunt, qui in trachea, bronchiis, canali intestino, quin etiam in cunctis fere membranis mucosis collocatos morbillos animadversos a semet ipsis esse affirment, nos quidem nec in vivis, nec in cadaveribus eiusmodi quidquam observavimus. Confestim igitur arbitrati, correptis membranis mucosis, defurfurationem quoque ibi adesse posse, ac fortasse per hanc defurfurationem, morbi eventum, colligi posse ipsius morbi in illis organis locum ac statum: saepissime perscrutati faeces, lotium salivamque aegrotorum per omnes morbi periodos, nullum talis defurfurationis vestigium deprehendimus, qualem in externa cute reperiri constat.

Denique in medium proferre statuimus, quaecumque et observavimus et experti sumus de ea curandi ratione ac methodo, quae pro morbillorum cum aliis morbis complicatione hocce in epidemio visa est esse praestantissima.

Catarrhoici morbilli simplices ac leviores ita decurrere solebant, ut, si modo ab aegrotis causae extrinsecus nocivae removerentur, nihil incommodi post elapsos morbillos maneret.

Curandum igitur fuit nobis, ut aegroti aëris temperatione ac moderatione aequaliter calida, non tamen fervida uterentur *); a perfrictionibus perinde atque a nimis calidis stra-

*) Atque hoc sane non difficile aestatis fuit tempore, quo non facile homines perflatibus perfrigescant. Multo operosius illud profecto

gulis, quum nimius et calor et algor foret noxius, caverent; cibaria consumerent neque concoctu difficilia neque nimis irritantia, exempli gratia iuscula mucosa, lac aquae immixtum, pruna arefacta, panem siligineum non nimis recentem, potum multum, aquam non nimis frigidam vel saccharo perfusam, infusum floribus tiliae.

Nimium et fortius loqui semper nocuit organis respiratoriis; itidem nimis multum lucis, ne oculi irritatione laederentur, vitandum fuit.

Haec vero vivendi lex, seu diaeta, quae vocatur, ac victus cura in extremo potissimum stadio ut observeter, enitendum; summi enim momenti est, quoniam secus facientes periculosis imbui complicationibus assolent. Observata tamen rite hac tractandi methodo, benignissime huius generis morbilli decurrebant.

Si tussis in nimiam violentiam increvit, remedium praestantissimum et in postremo imprimis stadio non satis laudabile fuit *Sulphur auratum Antimonii*, ita a nobis praescriptum:

R. Sulph. Aurat. Antimon. gr. jv.
Pulv. rad. Ipecacuanh. gr. vjjj.
Sacchar. alb. pulv. ʒß
M. f. p. divide in partes aeq. No. VIII.
D. S. Duabus horis praeterlapsis singulis hisce partibus consumendum.

Alvus si nimis tarda erat, invenimus cavendum esse a medicamentis violenter purgativis, quoniam illis diarrhoea difficulter sedanda oriretur. Probabilius fuit, clysteribus uti. Contra si profluvio alvi vexabantur aegroti, mucosa medica-

---

hiemali tempore efficitur, ut temperatio adsit perpetua quindecim ad sedecim partium scalae thermometri *Reaumuriensis*, neve ullus perflatus admittatur. Tum etiam, opinor, opus est vasculo aquae pleno in fornace posito, ne respirationis viarum membrana mucosa irritetur nimis arido aëre.

menta sufficiebant ad illud sedandum, ut *Decoct. Salep.*, *Solutio Gumm. Tragacanth.*

Iam quidquid de diaeta in catarrhoicis morbillis observanda protuli, idem etiam in inflammatoriis complicationibus valet. Nimiam aëris nimisve calidam temperationem conati sumus vasis, aquae plenis, in conclavi positis, tolerabiliorem reddere. Potui inserviebant optime aqua recens vel limonata.

Apud unum, cuius cutis acriter fervebat arebatque, pulsusque durissimus erat ac tentissimus, et oculi rubebant, nec prodire morbilli videbantur, optime succedere vidi capitis et colli lotiones, aqua frigida factas, deinde utroque lana curiose ac diligenter deterso. Quo facto cutis cito humescebat et fervere paulatim desinebat.

Sanguinis autem detractiones insectis venis instituere nunquam opus habuimus, saltem apud minores natu infantes.

In tracheitide et laryngitide semper nobis paucae hirudines satisfecerunt. In bronchitide et pneumonia iuverunt nos cucurbitulae scarificando admotae pectori, et *Tart. stibiat.*, dosi plena et vomitum excitante.

Non possumus facere, quin commemoremus hoc loco, nihil potuisse profici dosibus auctis tum, quum non vomitum procreasset, sed percolatus esset tartarus stibiatus. Si enim semel in id inclinavit ille tartarus emeticus, ut percoletur, nil praeter hanc percolationem efficere possunt vel maximae doses, id est grana quatuor per sextam horae partem consumenda, minime autem vomitum excutiunt.

Hoc igitur percolandi studium si ostendebat tartarus, recipi nos iussimus, nisi contra id aderat indicatio, *Opii* dosin parvam, et, praeterlapsa una hora, exiguam *dosin Tart. stibiat. gr. β* cum ℈β *Rad. Ipecac.* coniunctam: quo facto mox sequebatur vomitus. Crises, quae per cutem fiunt, adiuvimus deinde per *Liq. Ammon. acet.* in infuso *flor. Tiliae.* *Nitrum* satis caute adhibebamus nec nisi res ipsa id efflagitabat, et in solutione

quidem *Gumm. Tragacanth.;* quoniam valde imminui nitro potentia concoquendi cibos et infringi vires infantium animadvertimus.

Forma, quam aegrotos optime perferre inveni, fuit haec:

R. Kali nitrici depur. ʒj.
Gm. Tragacanth. ℈j.
Solve in
Aq. Cerasor. ℥jj.
M. D. S. horis duabus praeterlapsis cochlearibus minoribus consumendum

nec non:

R. Extr. Hyoscyami gr. jjj.
Kali nitrici depur. ℈jj.
solve in
Aq. Foenicul. ℥jβ.
adde
Syr. Altheae ℥j.
M. D. S. Singulis horis singulis cochlearibus minoribus consumendum.

Cito collabentibus viribus egregia medela fuit *Ammon. carbon.*, ita a nobis exhibitum infantibus ferme trimis:

R. Ammon. carbon. ʒβ
Aq. Meliss. ℥jj.
M. D. S. Singulis horis singulis cochlearibus consumendum.

Quod attinet ad curationem morbillorum cum tracheitide membranacea et morbo Whyttii complicatorum: per se haec res satis perspicua est. Nam hi quidem morbi, multo periculosiores ac perniciores morbillis, magis respiciendi sunt, quam ipsi morbilli, et omnis mentis acies directa a nobis est in complicationes; quapropter puto horum morborum curationis methodum, ubi de morbillorum cura agitur, non attinere.

In gastricis, quos vocamus, morbillis statim ab initio utilissimum inventum ac probatum est emeticum e *tart. stibiat.* cum *Ipecac. radice* mixtum. Si causa aderat opinandi, bilem

aut mucum in secundis viis haerere, aliquot post horas recipi iubebamus purgativa e *Calomelano* aut *salibus neutralibus.* Deinde, purgato canale intestino, bonum ac salubre videbatur *sulphur. aurat. antimon.* aut, viribus in imbecillitatem delapsis, *ammon. carbon.*

Stomacacae, quae tam crebro ad gastricam accessit complicationem, mederi solebamus optimo cum successu hoc modo.

Prospiciebamus, ut aegroti puro aëre semper uterentur, esuique mandabamus recentia olera, brassicam acidam, poma recentia cocta, potui limonatam.

Ea in re omnium, quae intrinsecus fieri volebamus, remediorum optimam praebuit opem *aqua oxymuriatica*, quam hac sub forma recipi iubebamus:

R. Aq. oxymuriat. c. Aq. dest. par. ℥jβ.
— destill. ℥vj.
M. D. S. Binis horis singulis cochlearibus consumendum.

Externe addebamus hoc liquidum:

R. Bals. peruv. ʒj.
Spiritus Cochleariae ℥jj.

Huius liquidi unum cochleare, sex aqua plenis cochlearibus mixtum ac dilutum, ad os eluendum purgandumque praescribebamus.

Contra minorum natu infantium aphthas haec externe recipi iubere moris nostri fuit:

R. Borac. dep. ʒβ
Aq. ceras.
Mell. Ros. $\overline{aa}$ ℥j.
M. D. S. Litus oris.

Hac sanandi curandique methodo usi, morbum saepenumero intra decem quindecimve dierum spatium absolutum sublatumque vidimus.

Iam ergo quaestiones, a nobis propositas, videmur satis illustrasse atque absolvisse. Finimus igitur opusculum nostrum ac terminamus magnopere cupientes, ut illarum, quas exhibuimus nos quidem, quaestionum iucunditas ac gravitas alios pelliciat ad explendas removendasque, si quando eis alios observandi epidemios morbos occasio fuerit oblata, nostrae dissertationis lacunas.

VITA.

Natus Calendis Maiis anno huius saeculi duodevicesimo *Eduardus Friedlieb* Hundsbaci pagi in praefectura Meisenhemiensi addictusque fidei catholicae, patrem *Io. Friedlieb*, decurionem, et matrem *Elisabetham* e gente *Born* Dei gratia adhuc superstites veneror.

Primis autem literarum elementis imbutus, Gymnasium Trevericum, cui *Wyttenbach* V. Cl. Director praefuit, per quinque annos et dimidium frequentavi.

Inde cum testimonio maturitatis dimissus, sub finem mensis Octobris anno huius saeculi tricesimo octavo Almam literarum Universitatem Ruperto-Carolinam, ut arti medicae operam navarem, petii, ubi a *Puchelt* V. Cl. t. t. Prorectore Magnifico in numerum civium Academicorum receptus sum.

Postquam ibi duos per annos in scientiam meam incubui, aliam Musarum sedem quaerere in animo fuit. Quare anno huius saeculi quadragesimo in Almam Universitatem Fridericiam Guilelmiam Rhenanam profectus, ibi a V. Cl. *Arndt* t. t. Rectore Magnifico numero civium Academicorum adscriptus et in Album Gratiosi Medicorum Ordinis a *Weber* V. Cl. t. t. Decano Spectatissimo illatus sum.

Scholae, quas audivi, hae sunt:

I. Philosophicae.

Heidelbergae:

Logicen et psychologiam apud Cl. *a Reichlin-Meldegg;* botanicen generalem et specialem apud Cl. *Bischoff*; physicen experimentalem apud Cl. *Jolly*; mineralogiam apud Cl. *Blum;* Chemiam et phytochemiam nec non zoochemiam apud Cl. *Gmelin;* denique

Bonnae:
zoologiam et zootomiam apud Cl. *Goldfuss.*

II. Medicae.

E medicorum ordine praeceptores mihi fuerunt

Heidelbergae:
de osteologia et syndesmologia Cl. *Kobelt*; de anatomia generali et speciali Cl. *Tiedemann;* de physiologia et anatomia comparata Cl. *Bischoff;* de materia medica Cl. *Dierbach*; de arte obstetricia Cl. *Naegele;*

Bonnae:
de encyclopaedia et methodologia artis medicae; de pathologia generali et de semiotice nec non de morbis psychicis Cl. *Naumann;* de therapia generali et speciali, de pathogenia generali Cl. *Nasse;* de chirurgia, de morbis oculi humani, de selectis chirurgiae capitibus, de operationum chirurgicarum praeceptis, de fasciis applicandis Cl. *Wutzer;* de medicina forensi Cl. *Kilian;* de medicinae historia Cl. *Harless;* de formulis rite conscribendis, de pathologia et therapia speciali Cl. *Albers;* deinde repetitorium anatomiae mihi tradidit Cl. *Weber.*

In exercitationibus practicis duces mihi fuere: In arte cadavera dissecandi

Heidelbergae:
Tiedemann, *Bischoff* et *Kobelt* V. V. Cl. Cl.

Bonnae:
Cl. Cl. *Mayer* et *Weber;* in exercitationibus obstetriciis ad phantoma et in clinico obstetricio Cl. *Kilian;* in clinico propaedeutico et therapeutico Cl. *Nasse;* in clinico chirurgico-ophthalmiatrico Cl. *Wutzer*; in operationibus in cadavere instituendis Cl. *Weber.*

Quibus omnibus viris de me optime meritis maximas habeo semperque habebo gratias.

T H E S E S.

1. *Venae resorptioni inserviunt.*
2. *Vulgaris opinio, qua olim amuletis vis medendi tribuebatur, superstitiosa non fuit.*
3. *Ubi stimulus ibi non affluxus, verum stagnatio.*
4. *Medicamina in vivo corpore chemice non agunt.*
5. *Acido hydrocyanio separata medicaminum familia constituitur.*
6. *In inflammationibus vasa recentia intra focum inflammationis non formantur.*
7. *Systema neurophlogoseos certis et indubitatis argumentis non nititur.*
8. *Distinctio inter morbillos simplices et catarrhoicos nil valet.*
9. *Morbus, quem Whyttii vocant, non semper unus idemque est.*
10. *Somnium insania evanida.*
11. *Torsio arteriarum non prorsus reiicienda.*
12. *Interdum sectio caesarea invita matre instituenda est.*
13. *Vivum foetum nunquam perforare licet.*
14. *Magnetismum animalem exercentis plus valet vis voluntatis quam corporis.*